OBSERVATIONUM EX MARMORIBUS GRÆCIS SACRARUM SPECIMEN.

PROGRAMMA,

QUO SYNODUM JOHANNEAM

ROSCHILDIAE DIEBUS VI. ET VII. JULII MDCCCXIV. CELEBRANDAM

INDICIT

D. FRIDERICUS MÜNTER,

SELANDIAE, ORDINUMQUE REGIORU[illegible],

COMMENDATOR DANEBROGICUS, CAET.

HAFNIÆ.

TYPIS JOHANNIS FRIDERICI SCHULTZII,

TYPOGRAPHIAE REGIAE DIRECTORIS.

Quam felicem operam viri docti interpretando S. Codici, Novo inprimis Testamento navaverint, loca parallela dictionem ejusdem usumque loquendi illustratura colligendo ex auctoribus græcis, Polybio maxime, Diodoro Siculo et Arriano, nec non Xenophonte, atque Judæis Philone et Josepho, inter omnes Exegeseos sacræ peritos constat. Hisce enim collationibus nativa et genuina verborum vis atque significatio demonstrata, verusque singulorum locorum sensus constitutus est. Nec minorem Novo Testamento rite explicando præstitit utilitatem versio Veteris Testamenti septuagintaviralis una cum fragmentis, quæ ætatem tulerunt, reliquorum Interpretum. Quibus autem omnibus egregius Philologiæ Græcæ usus in exponendis iis libris, unde purior Religionis Christianæ notitia haurienda est unice, sese manifestavit adeo, ut ne levissimis quidem dubiis de commodis ex strenuo ejusdem studio ad universam Theologiam redundantibus, relictus esse possit locus. Et reliqua etiam vetustatis monumenta haud prorsus neglecta, sed, ubi occasio tulerit, in subsidium vocata fuisse, ipsa Interpretum opera produnt. Quot enim locis historicis ex marmorum numorumque inscriptionibus lumina allata, quot Chronologiæ sacræ tenebræ earundem ope pulsæ sunt! At mirari tamen subit, eosdem viros doctos Antiquitatum peritissimos, lapides atque numos rarius eo consilio adiisse, ut singula verba integrasque dicendi formu-

has in iis vel frequentius obvias, vel rarius occurrentes, cum vocibus locutionibusque biblicis conferrent, atque has ex illis illustrarent.*) Ignorare enim minime potuerunt, haud ita pauca id genus monumenta, utpote Palmyrena illa marmora græce loquentia, Inscriptionem Adulitanam a Cosma Indicopleuste servatam, aliasque plures inter Chishullianas, quod ipse jam vir eruditissimus observaverat, **) ad illam Græcitatem quæ vulgo Hellenistica audit, et Macedonicæ atque Alexandrinæ adeo est affinis, proxime accedere; neque dubitare iis licuit, quin vel in ipsis iis monumentis, quæ cum puriori græco sermone plane conspirent, eadem ratione, ac in Demosthene atque Xenophonte, subsidia ad Interpretationem S. Codicis contineantur, facillimo exinde negotio haurienda. Quem autem istorum uberrimorum fontium neglectum illi unice causæ tribuendum putem, quod tantam in ipsis scriptoribus invenerint messem, ut reliquam supellectilem antiquariam sine ullo sacræ exegeseos detrimento prætereundam, vel in alia quoque tempora servandam, aliisve relinquendam censerent. Cum vero piaculum foret, vel minimum illorum quibus vel rectior singulorum locorum explicatio tentari, vel sensus rite constitutus novis testimoniis ornari adstruique possit, ubi inventum fuerit, oblivione premere; nemo sane, cui sacræ literæ curæ cordique sunt, inania studia collocata censebit, si qui post largam illam e veteribus scriptoribus messem, spicilegium ex reliquis monumentis superstitibus facere adgredientur. Neque exiguum adeo par-

---

*) In iis, qui numos et marmora hoc consilio adierunt, commemorandi sunt J. E. J. Walchius, auctor Observ. in Matthæum ex Græcis Inscript. Jenæ 1779, et Schlægerus, cujus extat comment. de Diis Hominibusque Servator. ex numis atque marmor. vetustis ad varia Epist. Paullinarum loca, Helmæst. 1737.

**) Antiquitates Asiaticæ Christianam æram antecedentes, Londini 1728. p. 86.

parcumque hujusmodi ſpicilegium futurum quivis facile intelliget, qui rei cum lapidariæ tum numariæ veterum populorum notitiam vel primis labris deguſtaverit, noſtra potisſimum ætate, qua tot novi veteris eruditionis theſauri in lucem emerſerunt; inter quos marmor trilingue Roſetanum, a Gallis, cum Ægyptum occupatam tenerent, exeunte Seculo XVIII oblivioni in qua per tot ſecula latuerat ereptum,*) atque lapis græcus Axumitanus inter rudera Axumi, quæ olim fuit Nubiæ Metropolis, a Saltio, Britanno, repertus ſummaque induſtria deſcriptus **), trigam conſtituunt cum Adulitana illa Inſcriptione in honorem Ptolemæi Euergetis throno marmoreo inciſa: ***) quæ quidem Inſcriptiones, cum ubivis fere ad Alexandrinam dialectum et ſacri Codicis dictionem accedant, ſummo utique jure dignæ forent, quæ perpetuo commentario, ad illam quidem dialectum, verſionem ſeptuagintaviralem Novumque

*) Eclaircisſement ſur l'Inſcription grecque du Monument trouvé a Roſette par Ameilhon. Paris 1803. Villoiſonii lettres ſur l'Inſcription grecque de Roſette in Millinii Magaz. Encyclop. 1802. Vol. VI. p. 70 et 378. 1803. Vol. II. p. 174, 313.

**) In Volumine III p. 174 operis, cui titulus Voyages and Travels to India, Ceylon, the red Sea, Abysſinia and Egypt in the years 1802-1806. by George Viscount Valentia. London 1809. AEri inciſus extat lapis Tab. LX. Repetita Inſcriptio una cum tab. ænea habetur in Wolfii et Buttmanni Muſeum der Alterthums Wiſſenſchaft II. 3. Berl. 1810. p. 758.

***) Hancce Inſcriptionem non a Cosma Indicop. fictam ſed genuinam esſe, licet duabus diverſis lapidi fuerit inciſa epochis, probant omnes characteres interni, quos erudite ut ſolet expoſuit Buttmannus in Disſertatione: über die Echtheit des Adulitaniſchen Monumentes. Muſ. der Alterth. W. II. 1. p. 105. et: über das Alter der zweiten Hälfte der Adulitan. Inſcript. ib. II. 3. p. 599.

Testamentum respiciente, post Villoisonii, Sturzii *) atque Buttmanni **) curas denuo illustrarentur. Quae vero cum nostri haud sint instituti, quippe qui id unice agamus, ut singulis exemplis ex Inscriptionibus graecis haustis ostendamus, quantum laboris in hocce studiorum genere supersit sacrorum librorum interpreti, quantique exinde colligendi sint fructus, pauca saltem huc facientia ex tribus istis Inscriptionibus delibabimus, e quibus consensus Idiomatis illius quo utuntur, cum Alexandrino atque Hellenistico loquendi usu, vobis, fratres carissimi, patebit; haud tamen alias nonnullas phrases plane praetermissuri, quae, licet purior sermo eas haud respuat, sacris tamen paginis illustrandis idoneae nobis visae sunt. Neque in tribus illis marmoribus subsistendum nobis erit unice. Addentur quoque paucula specimina ex Inscriptionibus Palmyrenis collecta, ***) aliisque a Seldeno, Pocokio, Chishullio, editis. Brevissime vero de singulis; nec in caussis consensus, qui inter isthaec marmora et sacras literas quoad sermonis graeci rationem invenietur, post Sturzium exponendis immorandum. Plura vero in singulis vocibus dabunt Lexicographi, cum Graeci Veteres, tum recentiores, Stephanus maxime, Bielius et Schleussnerus.

*) De Dialecto Macedonica et Alexandrina liber, Lips. 1808. ubi multa vocabula marmori Rosetano et Adulitano incisa explicantur.

**) In notis ad Inscr. Axumit. l. c. p. 579.

***) Inscriptiones graecae Palmyrenorum cum scholiis et annotationibus Edwardi Bernardi et Thomae Smithi. Traj. ad Rhen. 1698.

I. ΑΓΑΠΑΝ.

In marmore Rosetano Rex Ægypti Ptolemæus V. Epiphanes sæpius prædicatur ηγαπημενος ὑπο του φθα. (lin. 2. 4. 8. 9.) Quod quidem sensu eminentiori accipiendum esse, facile cernitur. Ita enim etiam in sacris literis. v. c. II Paral. XX. 7. Και εδωκας αυτην (την γην ταυτην) σπερματι Αβρααμ τω ηγαπημενω σου εις τον αιωνα. Eodem quoque sensu Christus appellatur a Patre ὁ υἱος μου ὁ αγαπητος, addita explicatione εν ᾡ ευδοκησα. Matth. III. 17. Marci I. 11. II Petri I. 17. Christiani quoque, utpote qui singulari Dei benignitate ad religionem amplectendam adducti sunt, κατ εξοχην dicuntur ηγαπημενοι Col. III. 12 et ηγαπημενοι απο θεου 1 Thess. I. 4. et ipse Johannes Domino præ ceteris dilectus ὁν ηγαπα ὁ Ιησους, Joh. XIII. 23. Eandem etiam significationem habet Hebræorum אהב. Sed antiquissimam hancce inter titulos Regum Ægyptiorum Pharaonum jam ætate exstitisse formulam, docet inscriptio Obelisci Heliopolitani a Constantio Imp. Romam, ubi adhuc visitur, advecti, ab Ammiano Marcellino ex interpretatione Hermapionis, cui cur fidem denegemus, haud video, Libro XVII. c. 4. servata. In hac enim Ramestes Rex, bello Trojano συγχρονος, dicitur: ὁν Ἡλιος φιλει, ὁν Αμμων αγαπα v. φιλει; ὁν Απολλων φιλαληθης δεσποτης χρονων, και Ηφαιστος ὁ των θεων πατηρ προεκρινεν δια τον Αρεα, et denique

ὁν

ἐν Ηλιος ηγωγησεν, quod, nisi cum Gronovio legere mavis ηρωγησεν, vel ηγαπησεν, ut Villoisonius, de educatione intelligendum videtur, ac si dixisset: παιδηγωγησεν. Cf. omnino Zoëgam de orig. et usu Obeliscor. p. 27. 28. Quæ quidem omnes phrases cum nostra ηγαπημενος ὑπο του φθα, ad amussim conspirant.

II. ΑΙΩΝΙΟΣ.

Inscriptio XIIma Palmyrena habet verba: το μνημειον του ταφεωνος εκτισεν εξ ιδιων Σεπτιμιος Οδαιναθος . . . . . αυτῳ τε και υἱοις αυτου και υἱωνοις εις το παντελες αιωνιον τειμην. Prima vero Inscriptio ab his verbis orditur: το μνημειον αιωνιον γερας ῳκοδομησεν Γιχας Μοκιμου &c. Græca verba, sensus vero plane Orientalis. Ex monumentorum enim sepulcralium atque statuarum magnificentia æternitatem nominis sibi spoponderunt eorundem auctores. Dixisset autem Hebræus לְזֵכֶר לְעוֹלָם v. לְזֵכֶר לְעוֹלָם וָעֶד Ita quoque Antiochiæ in luco Daphnes inscriptum erat statuæ. Αρταβανῳ ἡ μνημη αιωνια. (Reines. Inscr. p. 819), et Romanis solemne illud MEMORIÆ ÆTERNÆ in marmoribus & numis. In Decreto Stratonicensium de Jovis & Triviæ Ceremoniis ap. Chishull p. 160. hocce ψηφισμα conscribi jubetur προς την αιωνιον διαμονην της ευσεβειας των θεων: Et in Rhauciorum illo, quo hujus urbis cives consecrationes Baccho factas, jus asyli et alia quoque gloriosa et honorifica Teiis approbant, hoc valiturum dicitur νυν τε και τον αλλον χρονον παντα. ibid. p. 117. uti in marm. Roset. l. 43. νυν τε και εις τον επειτα χρονον. Et in Evang. Nicodemi c. 20. (apud Birchium in Auctar. Cod. Apocr. N. T. Fabriciani p. 117.) ουαι σοι εις τον αιωνα τον ἁπαντα. Cæterum in monumentis quoque Phœniciis vocem עולם occurrere constat ex

ex marmore secundo Citiensi, novis ante paucos hos annos a Jo. Dav. Åkerbladio curis illustrato: *)

למי בחיי יפנאת על משכב נחתי לעולם כלא.

quæ quidem verba Åkerbladius ita latine reddit:

Quæ me vivente discessit a placido meo thalamo in æternum. **)

Απ' αιωνος eodem ac apud Hellenistas sensu in marmoribus legi, et *post hominum memoriam*, ut Joh. IX, 32. εκ του αιωνος ουκ ηκουσθη, significare, docet lapis Arundelianus C. Antonii Septimi Publii Citharœdi Victorias prædicans:

...... Κιθαρωδος μονος και
πρωτος των απ' αιωνος νικησας
τους ὑπογεγραμμενους αγωνας.**)

Simpliciter vero ut Ps. LXXXIX, 9. et apud Homerum, Pindarum, Herodotum, αιων de vitæ tempore intelligitur in lapide Chandleriano p. 30. (Inscr. Asiat. LXXX) ὁ δημος .... Ασηδαγιον Θεοφιλον τον και δι αιωνος νομοφυλακα.

III. ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ.

Vetus Pharaonum titulus in Obelisco Heliopolitano occurrens, ubi Ramestes Rex βασιλευς αιωνοβιος, et αιωνιος, ᾡ οἱ θεοι ζωης χρονον εδωρησαντο, vel ᾡ πολυν χρονον ζωης εδωρησαντο ὁι θεοι, salutatur. A Lagidis, quoque, Pha-

*) Inscriptionis Phoenicia Oxoniensis nova interpretatio. Paris. 1802.

**) Bellermanni Interpretatio: quæ in thalamo requies seu voluptas mea erat, meque beatissimum reddidit, paullo impeditior esse videtur. De Phoenicum et Pœnorum Inscriptionibus. Berol. 1810. p. 8.

***) Marmora Arundeliana Seldeni p. 34.

Pharaonum in regenda Ægypto ſucceſſoribus uſurpatum fuiſſe, teſtis eſt inſcriptio Roſetana, in qua ſæpius legitur, ut et κυριος τριακονταετηριδων l. 2. Transiit deinceps ad Romanos Imperatores, quorum imperii, et numinis poſt conſecrationem ÆTERNITAS prædicatur in numis a Veſpaſiano inde; quique, ſeculo ad occaſum vergente IV et deinceps, *Æternitatis* Titulo ſeſe ſalutari paſſi ſunt, (ita Symmachi Epiſtolæ ſæpius) vel a Chriſtianis (in actis eccleſiaſticis), nec non ipſi eundem in edictis, literisque publicis ſibi arrogarunt. Exinde procedente tempore nati ſunt tituli αει βασιλεις et αει Σεβαςοι, a Valentiniano III et Marciano uſurpati, et Imperatorum Romano-Germanicorum *Semper Auguſtus*: quæ quidem omnia erudite expoſuit Villoiſonius in epiſtola II de Monumento Roſetano Millinii Mag. Encyclop. 1803. inſerta p. 185.

Cæterum hosce titulos ex adulatione orientali profectos esſe nemo non videt: nec opus, ut moneamus, in Sacro Codice, licet reges principesque nonnunquam Dii, filiique Dei appellentur, epitheton iſtud του αιωνιου non niſi uni Deo tribui. Magis vero ad rem noſtram facere videtur votum Chaldæorum Dan. II, 4, βασιλευ εις τους αιωνας ζηθι.

IV. ΑΠΑΓΕΙΝ.

Inſcr. Roſet. l. 13. 14. legitur τους εν ταις φυλακαις απηγμενους. eodem ſenſu quo Geneſ. XXXIX. 22. τους απηγμενους, et XLII. 16. ὑμεις δε απαχθητε. ſc. εις φυλακην. 1. Macc. II. 9. τα σκευη της δοξης αυτης αιχμαλωτα απηχθη. Proprie vero, uti Romanorum *ducere*, dicitur de captivis et condemnatis απαγεσθαι: ita Philo απαγομενοι επι θανατῳ in Flacc. p. 671. ſic etiam Luc. XXIII. 26. Joh. XIX, 16. Inde Heſychius Απαγεσθαι, εις θανατον ἑλκεσθαι. cf. Bielium.

V.

V. ΒΑΣΙΛΕΙΑ.

Leguntur in marmore Rosetano lin. 43 et 44. verba sequentia:

τας του Βασιλεως χρυσας βασιλειας δεκα, αις προσκεισεται ασπις.

et

των ασπιδοειδων βασιλειων των επι των αλλων ναων, εςαι δ᾽αυτων εν τω μεσω ἡ καλουμενη ΨΧΕΝΤ.

Sunt igitur *βασιλειαι* hoc loco Coronæ, ut Hebræorum מַלְכוּת, quod οἱ O, mutato tantum genere, *βασιλειον*, sc. *ςεμμα, διαδημα*, verterunt. II. Reg. I. 20. III. Reg. XIV. 8: II. Paralip. XXIII. 11. add. II. Macc. II. 17. Apud Scriptores bene Græcos, Aristophane excepto, in cujus avibus v. 1703 seq. *βασιλεια* occurrit ut nomen proprium, est pluralis *του βασιλειου*: *βασιλειον* enim *Regia*; Ita Athenæus V, 3. *νυν δε τα βασιλεια λεγουσιν αυλας.* Et Plato in Axiocho: *εν ἡ βασιλεια Πλουτωνος, ουχ ἡττω της του Διος αυλης.* De templis quoque apud Ægyptios hocce vocabulum adhibitum fuisse eadem Inscriptio Rosetana docet, in cujus lin. 45. *βασιλειον* in singulari de templo portatili usurpatur. Inter Græcos autem Diodorum Siculum unicum excitat scriptorem Sturzius p. 151, qui eodem vocabulo feminino utatur ad designandas *Coronas*, libro I. c. 47; ubi nimirum de statua matris Osymandiæ Regis loquitur, quam describit: *εχουσαν τρεις βασιλειας* (ad instar triregni Pontificii) *επι της κεφαλης*: unde conjicere licet, Diodorum, cum de rebus Ægyptiacis agat, in ipsa Ægypto insolentiorem hujus vocis formam didicisse. Vide de h. l. Wesselingium not. 31. pag. 57.

VI. ΓΕΝΝΑΝ.

In marmore Adul. l. 26. extant verba Ὑπερ δε ευχαριστιας του εμε γεννησαντος ανικητου Αρηως. In Axumitano vero l. 5 et 6. dicitur Rex Υἱος θεου ανικητου Αρηως: et multis ante hos sæculis in Obelisco Heliopolitano Ramestes Rex salutatur Υἱος Ἡρωνος θεογεννητος, et deinceps Ἡλιου παις, nisi hocce denotet ministrum, עבד ut I. Macc. I. 6. τους παιδας αυτου τους ενδοξους; et PVER in Inscript. Latinis apud Walchium p. 14. Est vero υἱος Homericum διογενης, quod de regibus sæpe usurpatur. Sic quoque in Psalmo II. 7. de Rege a Deo constituto. Υἱος μου ει συ, εγω σημερον γεγεννηκα σε; licet γενναν, הוליד, heic potius sit *Regem declarare, constituere*, manet tamen sensus: υἱος nimirum est. Pristinus vero hominum sermo deinceps in vilem abiit adulationem, ex quo ab Alexandri maxime ætate reges divinos sibi postulabant honores, Deosque sese a subditis appellari passi sunt, unde quoque αιωνοβιος istud in superioribus illustratum. Hinc in Inscriptione Rosetana Rex Ptolemæus V. appellatur θεος εκ θεου και θεας, εκγονος θεων Φιλοπατορων, Ptolemæi nempe Philopatoris IV. Transiit ab idolorum cultoribus eadem hæc impietas ad Magicæ Religionis asseclas, cum Reges Sassanidæ in nummis et inscriptionibus dicantur εκ γενους θεων, εκγονος θεων, θεος. Apud Romanos quoque irrepsisse historici docent, qui Domitianum Dominum Deumque salutatum fuisse tradunt: nec sub imperatoribus Christianis exulavit, quorum omnia, vel Chirographa, θεια erant, et ab ipsis Episcopis Synodisque ita dicebantur, quod fusius ostendit Villoisonius. In divina vero, ut ad nostram, unde disserendi occasionem cepimus, Inscriptionem redeamus, origine commemoranda — nam verba ὁς εμε εγεννησεν de primo stirpis fonte, uti διογενης illud Homericum esse accipienda, per se patet; Aizanes, Æthiopicus ille rex, qui Axumitanam Inscriptionem posuit, procul dubio majores suos secutus

eatus est, qui eandem, Ptolemæos, vel antiquiores Ægypti reges imitati, suis titulis regalibus inseruerant.

VII. ΓΗ.

In Monumento Adulitano legitur: της γης τελειν εκελευσα et: δι ου (Αρεως) παντα τα εθνη τα ὁμοϱουντα τῃ εμῃ γῃ απο μεν ανατολης μεχϱι της λιβα νωτοφωϱου, απο δε δυσεως μεχϱι των της Αιθιοπιας και Σασου τοπων υπ' εμαυτον εποιησα. Unde patet, Γην hisce locis eodem sensu accipi quo sexcenties in Versione των O, nonnunquam etiam in N. T. legitur, ubi *unam quandam regionem* denotat, ut Hebr. ארץ v. c. Genes. XII. 2. 10. XLII. 30. 33. addito etiam regionis nomine, εν παση γῃ Αιγυπτῳ Exod. XII. 12. 13. v. Ιουδαιαν Γην. Joh. III. 22. Qui quidem usus loquendi est plane hellenisticus, licet haud negaverim occurrere nonnulla apud classicos loca, in quibus addito regionis nomine, eandem habeat notionem; quæ recenset Georgius Hierocrit. N. T. P. II. p. 57. Ita enim Herodotus γην Μυσιην, Ιλιαδα γην, γην την Αιολιδα. Lib. VII. c. 42. 176. et alibi passim. Sic quoque Varro *terram Italiam* dixit de R. R. I. c. 9. et Gellius III. 8. 9, *terram Italiam* et *terram Græciam*. Neque plane desunt Inscriptiones græcæ in quibus γῃ de *Imperio Romano* usurpatur. Hoc enim sensu de incerto Imperatore post Vespasiani tempora: τον γης και θαλασσης και παντος Ανθϱωπων γενους δεσποτη(ν) Αὐτοκϱατοϱα Καισαϱα Φλαβιανὼν ἡ πολις*). Eodem quoque modo Antoninus Caracalla in marmore Thyatirenorum γης και θαλασσης δε-

*) Inscr. in Alex. Troadis reperta apud Pocokium, Inscr. antiqu. græcæ et latinæ p. 40.

δεσποτης dicitur *); atque de Genserico Vandalorum Rege tradit Theophanes, eum post captam Carthaginem sese Ρηγα γης και θαλασσης appellari jussisse **), licet nonnihil diverso forte sensu, ad indicandas nimirum ejus victorias terra marique reportatas ***). In nostra vero inscriptione ἡ εμη γη plane est idem ac ὁ ὑπ εμου κοσμος, de quo inferius, *Imperium* scilicet *Lagidarum*. Cæterum, Græcas voces, γη, γαια, ex Ægyptiaco idiomate derivandas esse censeo; sunt enim Copticæ ⲔⲀϨⲒ, ⲔⲀϨ, ⲔⲈϨⲒ, quæ in Versionibus Sacræ Scripturæ haud raro occurrunt. Cf. Rossii Etym. Ægyptiacas p. 82.

VIII. ΔΟΚΙΜΑΖΕΙΝ.

Græcis *explorare, experiri, utile judicare, judicare, censu approbare*; ultimo hocce sensu legitur II. Maccab. IV, 3. δια τινας των ὑπο του Σιμωνος δεδοκιμασμενους. I. Thessalon. II. 4. Καθως δεδοκιμασμεθα ὑπο του θεου πισευθηναι το ευαγγελιον. Rom. XIV. 22. εν ᾡ δοκιμαζει, si aliquid congruum voluntati divinæ judicat. I. Cor. XVI. 3. οὑς εαν δοκιμασητε. Eadem verbi vis et in Clementis Rom. Ep. I. ad Corinth. c. 47. προσεκλιθητε γαρ Αποςολοις και ανδρι δεδοκιμασμενῳ παρ αυτοις. Nec plane exulat locutio e Græcis scriptoribus: εκ των δεδοκιμασμενων καθιςαται. Xenoph. Mem. Socr. III. 5, 20. Alios vid. ap. Wetstenium ad utrumque l. Eodem autem sensu accipiendam putem phrasin in marmore Rosetano sæpius repetitam. Est enim titulus

---

*) Voyage de Wheeler T. I. p. m. 233. Thomæ Smith opuscula p. 25.

**) In Stritteri memor. Populor. I. p. 284.

***) Vide dissertat. nostras antiquar. p. 306.

lus regius l. 3. et alibi: Ὀν ὁ Ἡφαιςος εδοκιμασεν; licet videam Villoisonium (Mag. Encyclop. 1803. II p. 320) cogitasse de exploratione: Quem Vulcanus, *Pthas*, exploravit, quod nimirum regnum hujus Ptolemaei Epiphanis, cum sub tutore esset, difficultatibus erat impeditum; unde istud tempus dici potuerit *tempus explorationis*, δοκιμασιας. Sed ubi totum orationis nexum perpendamus, facile intelligemus, hoc nostrum, ὁν ὁ Ἡφαιςος εδοκιμασεν, esse plane synonymon alteri Epitheto jam illustrato, ηγαπημενος ὑπο του Φθα, et Heliopolitano illi, ὁν ὁ Ηφαιςος προεκρινεν: προκρινειν enim est *praeferre*, *anteponere*, uti Sapient. VII. 8. προεκρινεν αυτην σκηπτρων και θρονων. Nec valde alienum crediderim sensum nostri loci a significatu του Μαρτυρεισθαι in Palmyrenis inscriptionibus, ubi Μαρτυρηθεις ὑπο θεου Ιαριβωλου, &c.

IX. ΕΙΚΩΝ.

Εικων ζωσα του Διος.

Titulus Ptolemaei V. in marmore Rosetano l. 3. Est vero εικων juxta Hesychium χαρακτηρ, τυπος. In Lexico Cyrilli Εικων ὁμοια τῳ αρχετυπῳ τῃ ουσιᾳ μεν και τῳ ὑποκειμενῳ διαφερον αλον: εν ἑαυτῳ δε το του ὑποεικωνιζομενου ειδος μιμητικον. Opponitur igitur levi alicujus rei adumbrationi et delineationi, τῃ σκιᾳ, ut Hebr. X. 1. Eodem hoc sensu a Cyrillo expresso usurpatur in N. T. de Christo Domino Col. I. 15. quatenus est απαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποστασεως του θεου, Hebr. I. 3. et apud Philonem de Logo: τον δε αορατον θειον λογον και θεου λογον εικονα λεγει θεου; de opif. mundi p. 6. Hoesch. Et de Noacho cum familia ex arca egresso, εικων της αορατου Φυσεως εμφανης αϊδιου γενετη. de vit. Mos. L. III extr. Addit Inscriptio ad augendam vim imaginis, Ζωσα, innuitque simul, Regem Jovis Majestatem repraesentare, esse et agere loco Jovis.

X.

X. ΕΙΡΗΝΗ.

Verba marmoris Adulitani hanc vocem exhibentia ita sese habent:

Φορους της γης τελειν εκελευσα, και
ὁδευεσθαι μετ' ειρηνης και πλεεσθαι.

Ειρηνην apud Græcos scriptores puro sermone utentes *Pacem* intelligi, non est quod multis demonstratum eamus. Extat tamen locus Platonis de Rep. libr. I. Ειρηνη των τοιουτων, qui notionem *Quietis ab ejusmodi rebus quales sunt de quibus agit* involvere fortassis posset, licet incerta sit res. Apud Hellenistas autem eadem hæc vox particeps est omnium illarum, quæ Hebræo שָׁלוֹם tribuuntur. Hinc adjunctas habet *salutis*, *felicitatis*, *securitatis* significationes; Jud. VI. 23. Ειρηνη σοι, μη φοβου, I. Reg. I. 17. πορευου εις ειρηνην. Joh. XVI, 33 Ita quoque in Orphicis, Hymn. XXXIX, 18.

Ελθε μακαιρ' ἁγνη, καρποις βριθουσα θερειοις,
Ειρηνην καταγουσα και ευνομιην ερατεινην.

Eadem quoque habet Edictum Nebucadnezaris Dan. IV, 1. Ειρηνη ὑμιν πληθυνθειη εν παντι καιρῳ, ubi uterque Interpres, vetus septuagintaviralis atque Theodotion in adhibendo ειρηνης vocabulo conspirat, Ita etiam I. Macc. VII. 35. εαν επιστρεψω εν ειρηνῃ, ubi simul Victoriæ notionem habet adjunctam. Hanc etiam *pacem* publicamque *securitatem* laudant numi, non Romani tantum Commatis, sed et Græci passim, et Alexandrini, tranquillum pacatumque Ægypti statum sub Claudio aliisque Imperatoribus innuentes, de quibus consulendus Zoega, in numis Ægyptiis Imperatoriis pag. 16, 17, 24. 42. &c.

Neque semel tantum, sed iterum quoque de tranquillitate et felicitate omnigena adhibetur Ειρηνης vocabulum in lapide Adulitano; habet enim is præter locum descriptum, sequentia verba:

Ἁ δε (εθνη, nonnullas gentes Ptolemæo Ægypti Regi subjectas) διαπεμπομε-

πομενος και εν ειρηνη κατας ησας παντα τον υπ' εμου κοσμον. De quibus ultimis verbis inferius.

XI. ΕΠΑΝΟΡΘΟΥΝ.

In laudibus Ptolemæi V. Marmore Rosetano celebratis legitur l. 2.

Του τον βιον των ανθρωπων επανορθωσαντος.

Quod quidem verbum, cum in V. T. græco æque ac in Novo occurrat, brevibus erit illustrandum. Significat enim proprie *correctionem ejus quod incurvatum est*, diciturque de *artibus depravatis*, *pravis arbusculis et stirpibus incurvis quæ corriguntur*, ut videre est in Lexicis: transfertur deinde ad *omnem restitutionem in integrum & meliorem statum*, cum quoad *correctionem erroris et falsæ opinionis*, tum etiam quoad *emendationem vitæ et morum*, addita nonnunquam, uti in nostra Inscriptione, voce βιου. In Polybio I. 35. de reparatione domus adhibetur. In Demosthene advers. Timocratem. (ed. Reiske T. I. p. 707.); επανορθωσις των νομων; et in Æliano V. H. III. 17. επανωρθωσαν τα κοινα. — I. Macc. XIV. 34. de *restitutione urbium*, vel potius, ut Syrus habet Interpres, de *suppeditatione omnium quæ ad instaurationem munimentorum requirebantur*. v. Michael. adnot. ad h. l. II. Timoth. III. 16. προς επανορθωσιν, *ad alios emendandos*, quo sensu bis quoque legitur apud Philonem, de agricult. p. 189. εις επανορθ. εθους; et de Vita Mosis p. 659. εις επαν. βιου.

XII. ΕΥΘΗΝΙΑ.

Hocce quidem vocabulum, si unum forte Aristotelem excipiamus, περι ιχθυων ευθηνιας loquentem (Hist. animal. VIII. 19.) vix occurrit in scriptoribus clas-

classicis, qui tantum habent ευθηνειαθαι de anno feraci, ut testatur fragmentum Herodiani, Phrynichi Eclogis in editione J. C. de Pauw adjunctum: Ευθηνειαν ου λεγουσιν, αλλ' ευετηριαν. Ευθηνειν vero apud Hesychium est ευδαιμονειν, πλουτειν. Sæpius autem *Ubertatem, abundantiam annonæ* significat apud Philonem et τους Ο. v. c. Genes. XLI. 29. 31. 47. 53. Unde notionem *quietis*, Ps. CXXI. 7. Dan. XI. 21. 24. et *felicitatis* quoque accepit. Job. XX, 5, in fragm. Vers. Symmachi. Eodem sensu ευθηνια occurrit in marmore græco apud Chandlerum Inscr. Asiat. p. 7. . . . και φυλαξαντα την ευθηνιαν, et iterum p. 81. ubi Cn. Cornelius Tib. fil. dicitur ευθηνιας επιμελετης. Sic etiam in marmore Rosetano lin. 13, laudatur Ptolemæus, eo quod impositorum in Ægypto tributorum ac vectigalium nonnulla quidem omnino, alia ex parte remiserit:

οπως ο τε λαος και οι αλλοι παντες ευθηνια ωσιν επι της εαυτου βασιλειας.

Eadem hæc Ευθηνια in numis Imperatorum Ægyptiis ab Augusto inde proponitur Capite spicis coronato cum spicis ad pectus, vel etiam spicas, v. spicas et papavera dextra, sinistra nonnunquam cornucopiæ tenens,*) addita Inscriptione ευθηνια, semel ευδηνια **) juxta morem Æolum et Macedonum Δ pro Θ usurpantium; (Sturz p. 28): videturque iis inprimis annis in moneta fuisse commemorata, quibus Nilus altius restagnans provinciæ fertilitatem auxit; qui quidem aliis in numis numero ις cubitorum mensuram exhibente, et imagini Nili decumbentis adposito ***), indicantur. Est itaque Ευ-

θηνια

*) Zoega numi AEgypt. Imperat. p. 6. 19. 21.

**) Tab. II. fig. 3. X. f. 2. XIV. f. 3.

***) Zoega l. c. Tab. IV. numus Trajani Tab. VII. bis.

...ια felix annus, καιροι της ευετηριας ut ait Josephus Antiqu. II. c. 5. § 7. Hujus Ubertatis in moneta Romana sæpissime commemoratæ, signum stetit Corinthi, ut marmor Sponianum docet: τους ναους ευετηριας και κορης.*)

XIII. ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΣ. ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ.

Ευχαριστος, Græcis *suavis*, *gratiosus*, *acceptus*, v. etiam *gratus*, *beneficii memor*. Quod quidem epitheton in marmore Rosetano sæpius tribuitur Ptolemæo V, eidem Regi, quem Usserius **) a Catone adv. Thermum dictum fuisse *optimum* et *beneficentissimum* autumat (ap. Priscian. in Grammat. Lat. auctor. antiqu. Hanov. 1605. p. 601. vide Villoison in Mag. Encyclop. 1807. p. 357). Eodem sensu usurpatur in Veteri Testamento v. c. Prov. XI. 16. γυνη ευχαριστος εγειρει ανδρι δοξαν. Simili quoque significatu gaudet apud Joseph. Antiqu. Jud. XVI. 6, 2. et Diodor. Sicul. XVIII, 28. cf. Schwartz de Soloecismis discipulor. Christi antiquatis p. 67. Wolfii Cur. ad Col. III. 15., και ευχαριστοι γινεσθε, *benefici*, *liberales estote*.

Ut ευχαριστος est *gratus*, *beneficii memor*, ita quoque ευχαριστια *gratam beneficii recordationem*, seu *beneficiorum grati animi significationem* exprimit apud Philonem de vita Mosis L. I. p. 607. τους μεν ευνοιας τῳ φιλειν εκθυμως, τους δε ευχαριστιας ανθων ευ επαθεν, ημειβετο. In veteri Testamento *gratiarum actiones* sæpius denotat, ut תודה. Amos IV. 5. Sap. XVI. 28. Sirac. XXXVII. 13. II. Macc. II. 28. Item in N. T. Actor. XXIV. 3. I. Ti-

*) Miscell. erud. antiquit. p. 363.

**) Annal. V. T. p. 552.

moth. IV. 3. 4. II. Cor. IX. 12. Apocal. VII. 12, atque in patribus. Eandem significationem habet in marmore Adulitano ap Chishull. p. 7. 8. εχω τον μεγιστον θεον μου Αρην ευχαριστιαν: et in Axumitano, ubi Rex Aizanes: Υπερ δε ευχαριστιας του εμε γεννησαντος ανικητου Αρηως. Vix autem, etsi plane barbaras constructiones cum accusativo et genitivo haud spectemus, *) in scriptore bene græco hicce ευχαριστιας frequens usus reperietur. Phrynichum habemus vadem, qui ευχαριστειν, ait, ουδεις των δοκιμων ειπεν, αλλα χαριν ειδεναι. Similem tamen quodammodo phrasin habet Diodorus Siculus L. I. c. 90. ευχαριστως διακεισθαι προς παν το ευεργετουν; et Phavorinus ad 1 Timoth. II. 1 Paulum h. l. a minoribus ad majora ascendere inquit; ευχαριστιαν vero a δεησει et προσευχῃ distinguit: οτε δε φιλος επιπλεον γενωμαι, ευχαριστω: unde hauserit, incertum: Eodem quoque sensu legitur in monum. Stratonicensium ap. Chish. p. 158. δι' ἁς (αρετας) και το συμπαν πληθος θυει και επιθυμια και ευχεται και ευχαριστει...... θεοις. Alio vero cum puriore græcitate consentiente significatu extat verbum nostrum in Decreto Saxiorum Cretæ apud eundem p. 116: τα πολει των Τηιων ευχαριστειν βουλομενος, *gratificari cupiens.*

XIV. HMAN.

Legitur bis in clausula juramentorum a Gortyniis atque Hierapytniis, Latiis et Olontiis Cretæ populis vicissim præstitis apud Chishullum. Addit vir doctus:

---

*) Conjicit Sturzius p. 23, explicari posse hujusmodi verborum structuras ex Hebræorum consvetudine, qua nominibus quæ a verbis derivata sunt, eundem jungere solent casum qui jungitur verbis a quibus ducta sunt. ut II. Sam. III. 11. מִירְאָתוֹ אֹתוֹ

tus Ant. Asiat. p. 133. 136: "Ημαν, id est *Verè*, Græce αληθως, οντως, πεπιϛωμενως. Post invectum autem accentuum Græcanicorum usum vox Ἠμαν a Grammaticis in duo, hoc est η μαν, pessime discerpta est. Est enim adverbium jurandi, ab Hebræo אמן purissime traductum, quod et juramentorum formulis præfixum originem dedit vocabulo græco ομνυμι." Hactenus Chishullus; veram autem hujus adverbii in Græcam linguam cooptandi causam haud attigit. Ex sacris enim antiquissimis a Phoeniciis colonis in Græciam inductis derivandum est; et ni egregie fallor, ad Samothracica pertinet; in quorum liturgiis vetusta Pelasgorum verba, quæ vero potius phoenicia fuisse videntur, adservata fuisse, Diodorus Siculus perhibet. Vide quæ hac de re observavi in Dissertatione de Epitaphio Græco ad mysticam horum sacrorum doctrinam adludente, in quo Σαρξ eodem ac Hebræorum בשר sensu legitur; ubi simul attuli nomen Sacerdotis Samothracii ad accipiendas initiandorum de delictis suis confessiones constituti: Κωης, h. e. כהן, aliaque plura; unde patet in hisce aliisque mysteriis exotica verba, cum Semiticæ, tum Ægyptiacæ, atque adeo Indicæ originis frequenter satis fuisse adhibita. *)

XV. ΚΟΣΜΟΣ.

Κοσμον in N. T. nonnunquam *Palæstinam* esse, docuerunt Interppr. ad Matth. IV. 8. et Rom. IV. 13. Est enim עולם et הארץ, uti etiam οικουμενη, Lucæ II. 1. XXI. 26. Actor. XI. 28. et Joseph. Antiqu. l. VIII. c. 13. quod tamen vocabulum de *universo Romano Imperio* adhibetur aliis in

 locis

*) Antiquar. Abhandl. pag. 219.

locis S. S. v. c. Actor. XVII. 6. XXIV. 5. Asſentientibus Græcis, cum ſcriptoribus, v. c. Herodiano V. 2. 4. Polyb. VI. 48. tum quoque numis. Habemus enim Neronis Alexandrinum vel Palæſtinenſem, cui inſcriptum legitur ΤΩι ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ,*) de Romano Imperio intelligendæ, eodem jure ac titulus in Numo Auguſti, SALVS GENERIS HVMANI, hujus tantum Imperii cives ac ſubditos ſpectat. Quod vero Κοσμον, de quo heic agitur, attinet, hac voce in Novo quoque Teſtamento Imperium Romanum denotari, oſtendit locus Ep. ad Rom. I. 8. ubi Apoſtolus pietatem Chriſtianorum Romæ degentium εν ολῳ τῳ κοσμῳ καταγγελλεσθαι ait. Conſentiunt numi: nam apud Pelerinium extat numus Cæſareæ Cappadociæ: ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΚΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΚΕΙ.**) aliumque Severi habet Haymius***) ab Incolis Cii Bithyniæ ſignatum, in quo ΣΕΥΗΡΟΥ ΒΑΣΙΛ....ΟΣ Ο ΚΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΧΕΙ. Novam vero prorſus ſignificationem accipit ὁ κοσμος in marmore Adulitano: ſunt enim Ptolemæi verba: Ἁ μεν αυτος εγω ελθων και νικησας, (attende ad Hebraismum, ad cujus rationem verba ſæpisſime cum בוא, ερχεσθαι conſtruuntur! niſi forte reſpexerit Inſcriptio ad verba ſuperiora: αυτος εγω εν ταις μαχαις παρων νικησας και ὑποταξας κ. τ. λ.: de hac vero verbi ερχεσθαι ſtructura in V. T. obvia v. Sturzium p. 139) ἀδε διαπεμπομενος και εν ειρηνῃ καταςησας παντα τον ὑπ' εμου κοσμον.

Unde

---

*) Zoega l. c. p. 23. vide etiam elegantem Zeibichii Disſert.: Obſervat. ex numis antiquis ſacræ. Witemberg 1745. pag. 9. De Babylonico Imperio οικουμενην uſurpant οἱ O. Jeſaiæ XIII. 11. ubi Hebræus textus habet תבל.

**) Mel. de Medailles Pl. I. no. 2.

***) Theſ. Britann. Vol. II. Tab. XXXIX. 1.

Unde liquet, *παντα τον ὑπο Πτολεμαιου κοσμον* ab eo *κατασαθεντα* necessario esse debere *Regnum* quam late patuit *Lagidarum Ægyptiacum*, itaque *του κοσμου* ex hacce Inscriptione novam significationem emergere.

XVI. ΚΡΑΤΟΣ.

Apud Hesychium significat *βασιλειαν, εξουσιαν,* simpliciter etiam *robur,* ut עז et גבורה. Prov. VIII. 14. XXVII. 24. Job. XII. 17. Et in N. T. quoque, Luc. I. 51. Actor. XIX. 20. Eph. I. 19. VI. 10. Colosf. I. 11. Heb. XI. 14. *ὁ κρατος εχων θανατου.* *Rex s. dominus Mortis.* Sic etiam in marmore Rosetano l. 19. 35. ubi verba *Ἀνθ' ων δεδωκασιν αυτῳ οἱ θεοι νικην, κρατος και τ'αλλα αγάθα,* ubi *κρατος* haud dubie *Imperium* est, virtute firmatum. Simili sensu in Obelisco Heliopolitano apud Ammianum (XVII. 5.) Sol dicitur Regi Ramesti dedisse *το κρατος και την της κατα παντων εξουσιαν.* Neque plane absona Inscriptio numorum Ægyptiorum a Galba inde, in quibus ΚΡΑΤΗΣΙΣ *) legitur, quam quidem Spanhemius et Eckhelius de *Virtute* unice intellexerunt: de Præst. numor. I. p. 146. Eckhel. D. N. V. IV. p. 55. Incertum tamen, annon addi debeat notio *potestatis* v. *Imperii virtute parati*, quod ipse quoque numorum typus suadere videtur, mulierem stolatam sistens d. victoriolam, s. tropæum **), vel etiam Deam Romam orbis terrarum dominam, sedentem. Nec alienus ab hac notione usus loquendi; nam Sapient. VI. 3. exstant verba: *ὁτι εδοθη παρα του κυριου ἡ κρατησις ὑμιν, και ἡ δυναστεια παρα ὑψιστου;* ubi utrumque Imperium significat. Praeterea vero

*) Zoega p. 33. 34., et passim.

**) Vide Zoegam. Tab. III. p. 5.

vero nostro loco illustrando egregie inservit formula solemnis sacerdotum Ægyptiorum, qui Regi adprecabantur: *δȣναι την τε ὑγιειαν και τ'αλλα τ'αγαθα παντα τῳ βασιλει*, apud Diodor. I. c. 70. Wessel. Tom. I. p. 81.

XVII. ΚΥΡΙΕΥΕΙΝ.

Legitur in Marmore Adulitano *Κυριευσας δε της εντος Ευφρατου χωρης πασης.*

Est Hebr. משל. Sic 2 Paral. XX. 6. *Συ κυριευεις πασων των βασιλειων.* Num. XXIV. 7. *κυριευσει εθνων πολλων.* et sæpius in N. T. Luc. XXII. 25. *ὁι βασιλεις των εθνων κυριευουσιν αυτων.* Rom. XIV. 9. Rom. VI. 9. addita tamen in hoc marmore *subigendi*, *του ὑποτασσειν* et *ὑπ' εμαυτον ποιειν*, quibus locutionibus idem hoc monumentum utitur, notione, ut I. Macc. XIV. 7. *και εκυριευσε Γαζαρων και Βαιθσουρων και της Ακρας*; ubi plane synonymon est verbis præcedentibus *λαμβανειν* et *κρατειν*: quem quidem maxime sensum h. l. commendat Appianus in Syriacis de Ptolemæo nostro narrans: *ες Συριαν ενεβαλε και ες Βαβυλωνα ηλασε*, adstipulantibus Josepho c. Apionem l. II. c. 5. *τριτος Πτολεμαιος .... κατεχων ὁλην Συριαν κατα κρατος*, et Hieron. in Daniel. Cap. XI. Cf. Chishull Inscr. Asiat. p. 85.

XVIII. ΜΑΡΤΥΡΕΙΣΘΑΙ.

Verbum *μαρτυρεισθαι* legitur bis in marmoribus Palmyrenis Inscr. X. ubi dicitur, Aurel. Zenobium *μαρτυρωθεντα ὑπο των Αρχεμπορων* ... quos, quinam fuerint, plane ignoro; et Inscr. XI. *Ὡς δια ταυτα μαρτυρωθεντα ὑπο θεου Ιαριβωλου και ὑπο Ιουλιου Φιλιππου.* Θεος Ιαριβωλος haud dubie est Deus Lunus,

nus, Aſtartius, ירח בעל, in Meſopotamia magna religione cultus, cujus ſuperſtitionis teſtes exſtant numi Carrhis et Edesſæ ſignati (Eckhelii D. N. V. III. p. 507). Huic igitur numini μαρτυρωθεις legitur Zenobius. Senſus vero verbi μαρτυρειν eſt cum apud Græcos Scriptores, tum pasſim in Novo Teſtamento, *teſtimonio aliquem ornare, laudare ac commendare*, et ex adjuncto, *adſentiri, probare*; ubi nimirum omisſum eſt ευ ſ. καλως. Luc. IV. 22. παντες εμαρτυρουν αυτῳ Joh. III. 26. Luc. XI. 48. ita quoque in pasſivo μαρτυρεισθαι uſurpatur de eo qui eſt *laudatus ac probatus:* Actor. VI. 3. X. 22. XVI. 2. I Timoth. V. 10. Hebr. XI. 2. I Joh. III. 6, 12. Eandem ergo ſignificationem habet hoc noſtrum μαρτυρωθεις ὑπο θ. I. quam Roſetani marmoris phraſes ηγαπημενος ὑπο του Φθα, v. ὁν εδοκιμασεν ὁ Φθας. Eodem quoque ſenſu apud Chandlerum p. 95 a Populo Byzantino laudatur Orontes: ὑπο παντων μεν μαρτυρειται των εισπλεοντων εις τον τοπον πολιταν.

XIX. ΠΑΡΑΔΕΙΣΟΣ.

Apud antiquiores ſcriptores Græcos unice, quod ſciam, de *hortis Regum Perſarum* uſurpatur; vide loca apud Brisſonium de reg. Perſar. principatu l. I. c. 79. In Roſetano vero marmore lin. 15. narratur, Ptolemæum V. jusſisſe attributas ſub patre ipſius portiones Diis ex vineali terra, εξ αμπελιτιδος γης, και των παραδεισων et aliis rebus pertinentibus ad Deos manere. Ab Alexandri igitur inde M. ætate vocabulum migrasſe videtur in vulgarem Græcorum ſermonem, Syrorum maxime et Ægyptiorum. Occurrit enim ſæpius apud τους O, ubi *hortum*, in primis *irriguum* denotat; in qua notione omnia fere loca (unico Jeſ. I. 30. ὡς παραδεισος ὑδωρ μη εχων excepto) conſentiunt. cf. Bielium.

Unde

Unde etiam Hesychius παραδεισος τοπος ενυδρος η ευυδρος, εν ῳ περιπατοι. Est vero procul dubio vocabulum in marmore ἁπαξ λεγομενον.

XX. ΠΑΡΑΛΑΜΒΑΝΕΙΝ.

Consentiunt Classici et Hellenistæ de usu hujus verbi in *successione in Regnum, ejusdemque occupatione* commemoranda. Ita Palæph. de incred. c. 5. την βασιλειαν παρελαβε. Herodian. I. c. 3. 5. Ælian. V. H. XII. 47. παραλαβων Συρακουσας; et in V. T. Jerem. XXX. 2. Dan. V. 33. VII. 18. cf. Drac. v. 1. 2 Macc. IV. 7. 1 Macc. VI. 56. ubi ex duriori Hebraismo παραλαβειν μετα των πραγματων, *suscipere regni negotia.* Neque desunt loca N. T. Hebr. XII. 28. Διο βασιλειαν ασαλευτον παραλαμβανοντες. cf. Wolfium ad h. l. Sic etiam *universe de omni officio:* Colos. IV. 17. την διακονιαν ἡν παρελαβες. In Rosetana Inscriptione eodem in regnum succedendi sensu occurrit l. 1. παραλαβοντος την βασιλειαν παρα του πατρος. Iisdem fere verbis quibus de Ptolemæo III. utitur Philo: τριτος μεν ἡν των απ' Αλεξανδρου την Αιγυπτον παραλαβοντων. Cf. omnino Villoisonium in Mag. Encycl. 1803. p. 332.

XXI. ΠΑΤΗΡ.

Inscriptio Palmyrena V. laudat Αλιλαμενα Πανου του Μοκιμου του Αιρανου του Μαθθα, και Αιρανην τον Πατερα αυτου.

Alilamenes igitur erat filius Pani Mokimi, nepos Airani Mattha: nihilo tamen secius Airanes dicitur pater ejus. Ex genio utique Orientalium! Sic enim Nebucadnezar Evilmerodaci pater, Balthazarisque *avus* expressis verbis perhibetur hujus *pater* Dan. V. 11. Neque desunt similia in ipso N. T.

Cum

Cum enim orientales id moris haberent, ut in Genealogiis prætermitterent stirpes quæ numerum constitutum excederent (Ruth IV. 20. I Paral. VIII., coll. XXVI. 28. Genes. XLVI. 21), idem quoque factum reperimus in Genealogia Christi Matth. I. ubi, ut in Inscript. Axumitana verbum γεννᾳν latiori quodam sensu usurpatur; ita ut v. c. v. 8. inter Joramum et Usiam ejus abnepotem tres omittantur, licet textus habeat: Ιωραμ δε εγεννησε τον Οζιαν. Sic etiam verss. 11. 12. et vel in ipso Genealogiæ titulo Βιβλος γεννησεως I. X. υιου Δαβιδ, υιου Ἀβρααμ. Cf. Jac. Macknighti Comment. Harmon. in IV. Evangel. Tom II. p. 48.

XXII. ΠΟΛΕΜΕΙΝ.

Monumentum Adulitanum: Σεσεα εθνος επολεμησα. Et: απο τε λευκης κωμης, εως των Σαβεων χωρας επολεμησα. Notavit jam Chishullus p. 86. constructionem hujus πολεμειν cum casu quarto esse hellenisticam, classicisque scriptoribus ignotam, qui verbo composito καταπολεμειν sic utuntur, (Sturz p. 139) sed utramque paginam facere in versione septuagintavirali, v. c. Ps. CXXVIII. 1. Jesaiæ XXIX. 1. XXXVI. 10. Jerem. XLVIII. 10. Adjunctam vero nonnunquam habet *perdendi* notionem, ut l. c. Jes. XXXVI. 10, ubi in hebraico textu legitur השחית.

XXXII. ΣΠΟΥΔΗΝ ΠΟΙΕΙΝ.

Leguntur in Marmore Chandleriano p. 21: ενετειλε ανδρας καλους κ' αγαθους, οι παραγενομενοι πασαν σπουδαν εποιησαν. Frequentior apud Græcos formula παρεισφερειν, II. Petri I. 5, εισφερειν σπουδην, v. Kypkium in Observ Sacr. Tom. II. p. 439. et Wetsten. ad II. Petr. I, 5: nostra autem, ubi σπουδη cum ποιειν vel ποιεισθαι conjungitur, habetur Jud. 3. Præterea vero etiam in

 Hero-

Herodoto, Luciano, Thucydide, Appiano, Dionyſ. Halicarn. Iſocrate, aliisque. Cf. Wetſten. ad Jud. I. 3.

XXIV. ΣΥΝΤΑΞΙΣ.

Τας προσοδους των ἱερων και τας διδομενας εις αυτα κατ' ενιαυτον συνταξεις σιτικας τε και αργυρικας.

Sunt verba Inſcriptionis Roſet. l. 14 et 15. Quam quidem vocem in Joſepho et τοις O occurrere docuit Villoiſon. l. c. p. 346. cf. etiam p. 363.; habent enim hi Exod. V. 8. 10. συνταξιν της πλινθουργιας και πλινθειας. Item v. 11 et 14. de *præſcripto Judæis a Rege Ægypti opere perficiendo:* ille vero, Antiqu. Judaic. XII. 3. promisſionem Regis Antiochi Judæis datam referens: παρασχειν την εις τας θυσιας συνταξιν.

XXV. ΥΠΕΡΕΤΕΙΝ.

In Marmore XI. Palmyreno celebratur Aurelius Zenobius eo quod fuerit Στρατηγος (Prætor) in επιδημια θεου Αλεξανδρου (Alexandri Severi Auguſti, cum Orientem viſeret:) και ὑπερετησαντα παρουσια διηνεκει Ρουτιλιου Κρισπεινου: quæ quidem verba ita intelligunt, ac ſi legatus fuisſet perpetuus Rutilii Criſpini præfecti vexillationibus deductis. Hoc autem ſenſu ὑπερετειν vix unquam a ſcriptoribus bene Græcis uſurpatur. Eſt vero orientale עבר, et inter omnes conſtat, vel *ſummos viros Republicæ adminiſtrandæ præfectos, principum ſervos,* παιδας, δουλους, ὑπερετας appellatos fuisſe. Deinde *ii* quoque *qui minora obibant miniſteria in judiciis*, v. c. *apparitores;* ut Matth. V. 25. Actor. V. 22. ubi ſunt *miniſtri civitatis publici.* Unde forte adulatorium hoc ὑπερετησαντα modeſtiæ more Græculorum iſtius ætatis ſignificandæ cauſa huic lapidi inciſum eſt ab amicis Aurelii Zenobii. Similis locutio occur-

occurrit in Inſcriptione Melitenſi apud Princ. Turris Mutiæ p. 42, ubi mentio fit *του πρωτου της νησου* (Actor. XXVIII. 7.), *πρωτος* Μελιταιων *καὶ* Πατρων, *αρξας και αμφιπολευσας θεῳ* Αυγουςῳ.

XXVI. ΔΙΙ ΥΨΙΣΤΩι ΜΕΓΙΣΤΩι.

Inſolentior, quod quisqvis græcos auctores legerit ultro fatebitur, Jovis appellatio in marmore Palmyreno VIII.; licet apud Sponium habeatur *θεος ὑψιςος*: eſt vero עליון Hebræorum, de Deo ſæpe numero uſurpatum. Pſ. LXXXI. 6. XCI. 8. *συ δε υψιςος εις τον αιωνα Κυριε*, Dan. IV. 21. 22. 29. 31. Job XXXI. 28. Sirac XLIII. 11. *ὁ ὑψιςος*. Et in N. T. Luc. I. 52. Υἱος *ὑψιςου κληθησεται*, VIII. 28. *υἱε θεου του ὑψιςου*. Actor. XVI. 17. Hebr. VII. 1. Unicum tantum locum, ubi Ζευς dicitur *ὑψιςος*, affert Schleusnerus in Lexico ex Diogene Laertio VIII. 1. quem tamen *fruſtra* quæſivi.

Inuſitata quoque Mercurii ſalutatio in Marmore Roſetano l. 19. Ἑρμης *μεγας και μεγας* offendit aures græcas; eſt vero ex eodem Orientis fonte deducta, cujus idiomata, cum ſuperlativo careant, notionem hujusmodi vocis repetitione exprimere ſolent. Dixiſſent autem Hebræi גָּדֹל מְאֹד. Sed repetitio ipſius quoque vocabuli occurrit, Exod. VIII. 10, in græca etiam verſione expreſſa, Joel IV, 4. II. Reg. III. 16. Judic. V. 22. E Novo Teſtam. afferri poterunt ad illuſtrandum h. l. Luc. I. 50. *και το ελεος αυτου εις γενεαν και γενεαν*. II. Cor. IV. 16. *ὁ εσωθεν (ανθρωπος) ανακαινουται ἡμερᾳ και ἡμερᾳ*. cf. Vorſtium de Hebr. N. T. Cap. XIII. 2. ed. Fiſcheri p. 305. ſeq.

XXVII. ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΟΝ.

Inſcriptio Roſetana l. 45. commemorat *φυλακτηρια χρυσεα*, imponenda ſacello regio portatili, addita inſcriptione in honorem regis. Sunt autem

hæc φυλακτηρια vel προσκεφαλαια, Ezech. XIII. 18. in V. et N. T. *laminæ s. schedæ membranaceæ, quibus inscriptæ erant variæ legis mosaicæ sectiones, et quas thecis insertas Judæi fronti et brachio sinistro aptare solebant.* Hebr. מְכִבּוֹת (Michael. Suppl. ad Lex Hebr. IV. p. 1009) et תְּפִלִּין. Continebant vero non commonitiones tantum, sed etiam preces ad avertenda quævis mala, maxime ad fugandos Dæmones, ut videre est in Targum. ad Cantic. VIII. 3. Cf. Paulus Commentar über das N. T. III. p. 353. Apud Babylonios Persasque similem quendam usum obtinuisse monui in Tentamine super Inscr. cuneiform. Persepolit. ed. theotiscæ p. 133. Ipsum autem, de quo agimus vocabulum, in N. T. semel tantum legitur, Matth. XXIII. 5. de Pharisæis: πλατυνουσι τα φυλακτηρια αυτων. Occurrit etiam apud Justin. M. Dial. c. Tryphone, qui Judæos tradit jussu divino φυλακτηριον εν ὑμεσι λεπτοτατοις gestasse γεγραμμενων χαρακτηρων τινων; et per hæc religionem illis incussam esse αει μνημην εχειν του θεου. Vocem autem fuisse Alexandrinam, ex inscriptione nostra, locoque Matth. XXIII. 5. colligit Sturzius, lectoresque ad Stephani Thesaurum et du Cangium ablegat. De aureo illo in marmore Rosetano commemorato consule præterea Ameilhonii Dissertationem pag. 93. Huc forte pertinebit aurea lamina hieroglyphicis characteribus literisque inscripta in hypogæo Melitensi reperta, cujus delineationem post Abelam dedit Princeps Turris Mutiæ in Siciliæ et objacent. Insular. Vett. Inscr. p. 299. quamque antiquissimi cultus serpentibus exhibiti λειψανα continere surpicatus sum*).

XXVIII. ΦΥΣΙΣ.

In marmor. Chandlerianis p. 27. extat titulus: Λεων Αρτεμεισιου ὁ επικαλουμενος Ιασιων, οικουει μεν Μειλησιος, φυσει δε Ιασευς; quem, cum rariorem vocem

*) Antiquarische Abhandlungen. p. 163.

vocem φυσὶς, ob locum Ephes. II. 3. memoratu dignam exhibeat, heic minime omittendum duxi. Jaso, Cariæ urbe natus, dicitur Leo iste φυσει Ιασευς, licet e familia Milesia esset oriundus. Eodem sensu apud Josephum A. XI. 6 5. Φυσει τοις Ιουδαιοις απηχθανετο, ὁτι και το γενος των Αμαλεκιτων, εξ ὡν ην αυτος, ὑπ' αυτων διεφθαρτο. Dio Chrysost. Or. XXXI. οἱγε (Αθηναιοι) τον δεινα μεν Ολυμπιον κεκληκασι, ουδε φυσει πολιτην ἑαυτων, et al. ap. Wetsten. ad Eph. II. 3.

XXIX. ΧΟΡΤΑΣΙΑ.

Χορταζειν ad *homines* relatum veteris Græciæ usum haud tulisse ostendit Sturzius pag. 200. Non enim legitur nisi apud scriptores puræ Græcitatis fama non admodum florentes, et Grammaticos, quorum nomina recenset. Septuaginta vero Interpretes sæpius habent, Ps. XXXIV. 19. LVIII. 15. LXXX. 16. CXXXI. 15. τους πτωχους χορτασω αρτων. Et in Symmachi versione legitur αχορτασια. Deut. XXVIII, 20. αχορτασος. Ps. LVIII. 15. In Novo T. de *hominibus* usurpatur Matth. XIV. 20. XV. 33. Marci VIII. 4. Act. VII. 11. &c. Eodem etiam sensu in Marmore Axumitano lin. 15-18. Θρεψαντες αυτους βοεσιντε και επισιτισμῳ . . . ποτιζοντες αυτοις ζυτῳ τε και οινῳ και ὑδρευμασιν παντα εις χορτασιαν, οἱτινες ησαν τον αριθμον βασιλισκοι ἑξ συν τῳ οχλῳ αυτων.

XXX. ΧΩΡΑ. ΚΑΤΑΧΩΡΙΣΑΙ.

Χωρα occurrit in monum. Rosetano, ubi narratur lin. 16. Ptolemæum V. jussisse reditus σιτινους, e frumentis, et αργυριους ex argento, μενειν επι χωρας, significatione vocis apud Græcos inusitata. Erant nimirum reditus templorum ordinisque sacerdotalis, quos intactos reliquit. Eadem phrasi bis utitur: τα τε τιμια των ἱερων, και της Αιγυπτου διατετηρηκεν επι χωρας.

Quas

Quas quidem phrases egregie illustravit Villoisonius, suam sententiam contra Ameilhonii interpretationem, Ptolemæum istos reditus *in regione* servasse, ex significatu verbi καταχωρισαι, de quo mox, optime tuitus; ita ut sensus evadat: regem sacerdotum cum reditus, tum etiam honores *immotos incolumesque reliquisse*. E turba locorum quæ in medium protulit, unum tantum ex Herodoto exscripsisse juvabit: μενειν το ορκιον κατα χωραν; *Juramentum religiose servandum esse* (IV. 201). In versione των O occurrit χωρα. Josu. IV. 18. ὡρμησε το ὑδωρ του Ιορδανου κατα χωραν; *Cum impetu veniebat aqua Jordanis in locum pristinum*, sicuti explicatur in Glossario in Octateuchum: κατα χωραν, επι του αυτου τοπου. cf. Villoison in Mag. Encycl. 1803. p. 314.

Quod vero καταχωρισαι attinet, hocce verbum apud τους O *in matriculam propriam referre* significat, juxta Grotium ad III. Maccab. II. 29. ubi προκαταχωρισαι. In Rosetano lapide l. 51. idem sensus, *in Album referre*, qui melius quadrat ac Ameilhonii *prælibare* (*mettre à part des fonds*.) ita Esth. II. 23. προσεταξεν ὁ βασιλευς καταχωρισαι εις μνημοσυνον εν τῃ βασιλικῃ βιβλιοθηκῃ: est igitur idem quod καταγραψαι, Hebræorum tum Chaldæorum et Syrorum כתב. Sic etiam I. Par. XXVII. 24. κατεχωρισθη ὁ αριθμος εν βιβλιῳ λογων των ἡμερων του βασιλεως Δαβιδ. Et Strabo quoque idem hoc verbum de Homero usurpat; eum καταχωρισαι εις την ποιησιν, quidquid de Ægypto, Libya et Æthiopia acceperit (ed. 1620. lib. I. p. 16.) Neque exulat hocce verbum ex Inscriptionibus: legitur enim apud Gorium Inscr. Donian. p. 136. Muratorium in novo thes. Vol. II. p. 607. et Principem Turris Mutiæ p. 90. ubi verba: τους δε νομογραφους καταχωρισαι τουτο δογμα, addita paulo inferius explicatione: αναγραψαι το δογμα. Cf. omnino Villoison. in Magaz. Encyclop. 1803. p. 319. et Sturzium p. 174.

Habetis

Habetis heic, Fratres dilectisſimi, ſpecimen operis, cui, ſi hi noſtri conatus virorum doctorum, penes quos hujusmodi rerum arbitrium eſt, ſuffragiis ornabuntur, continuando, ſubſecivas noſtras horas, vitam viresque largiente Deo, impendemus, ita ut poſt aliquot annos *Novum Teſtamentum e Numis Marmoribusque Veteribus illuſtratum,* publicam in lucem prodire queat. Cum enim univerſum antiquitatis ſtudium in deliciis habeamus, hoc quoque noſtrarum eſſe partium, et jure utique a nobis poſtulari cenſemus, ut, quidquid ex eruditæ antiquitatis monumentis ipſi in ſcriniis noſtris ſervemus, inque commentationibus virorum rei lapidariæ numariæque peritorum collecta atque obſervata invenerimus, ſacro Codici, Novi inprimis Foederis Inſtrumento quantum fieri posſit illuſtrando, adeoque ipſi ſanctisſimæ Religioni inſervitura dicemus conſecremusque. Vos vero, venerabiles Fratres, Præfecturarum et Nomarchiarum Præpoſiti, Paſtoresque coetuum qui in Selandica Dioeceſi Chriſto colliguntur, eodem hocce ſpecimine, cum proxime inſtet tempus legibus conſtitutum Synodi Johanneæ habendæ, ut iſta ſolemnia diebus VI. et VII. Julii Roſchildiæ celebranda præſentia veſtra ornetis, officioſisſime invitamini. Aperientur enim conſveto ritu concione Synodali a S. V. Nomarchiæ

Holboensis Præposito, *Nicolao Sörensen* habenda; ordinabuntur Candidati, si qui, quod speramus, eo tempore adfuerint, ad obeundum munus sacrum ab Augustissimo Rege vocati; proponentur Edicta Regia, atque reliqua negotia Synodo concredita rite pertractabuntur. Quod vero superest temporis, recitationibus Dissertationum nostro consessui oblatarum, colloquiisque literariis atque pastoralibus impendetur. Quam ob rem, ut frequentes huic, primæ post recuperatam pacem, Synodo interesse velitis, Vos omnes, Fratres dilectissimi, etiam atque etiam rogamus.

Datum Hafniæ in ædibus Episcopalibus Idibus Maji cIↃIↃcccxiv.

